

hendemus, cum non adeò simplicem, & arcui circulari exactè similem, sed maximè tortuosum & flexuosum esse, quod & Keplerus fatetur, & calculo subducto cuiusvis apparebit. Sanè si arcus Cometæ nostri diurnos, sive ex meis sive ex aliorum observationibus, ad eclipticam alligaverimus, manifestum fiet, angulum, quem ecliptica cum prædictis arcibus, rectà si opus est continuatis, efformat, quotidie mutari, jam contrahi magis, jam dilatari, nec unquam in eodem numero graduum permanere. Quod idè etiam deprehendi in Cometâ anni 1577. & 1618. ex observatione Tychonis & Kepleri, adeò ut affirmare non verear, Cometarum tractum esse tortuosam aliquam lineam, quam, perinde ut aëreæ nostræ trajectiones modo huc modo illuc vacillantes, in aurâ æthereâ describunt, dubii velut quorsum evasuri sint.

Cæterùm Cometæ motu suo arcum circuli sive simplicis sive tortuosi nobis è terrâ sursum respicientibus semper quidè representant, ob imminentem nobis Cœli fornicem, cui phænomenorum itinera velut inscribimus, sed utrum tractus ille si in se spectetur arcus an lineæ rectæ formam obtineat, non immeritò dubitatur, cum multa nobis in sublimi videantur circulariter moveri, quæ tamen nihilominus rectà progrediuntur, ut in trajectionibus aëreis liquidò apparet. Nam ut visus sibi relictus è longinquo non distinguit inter propius & remotius; ita nec curvum à recto, gibbum à plano, discernere potest, nisi ratio collatis inter se nonnullis apparentiis certi quid per indirectum colligat. Keplerus totus in eo desudat, ut demonstret Cometæ more trajectionum aërearum per æthera κατ' ἐυθείαν ferri, idq; potissimum ex eo, quod motus quorundam Cometarum initio & fine tardus circa medietatem fuerit velocissimus, quasi terram rectà prætervecti Cometæ circa principium & finem longiùs abessent à nobis, circa medium propius accederent, & ita illic minorem, hinc majorem tractu suo, licet æquabili semper, angulum in oculo nostro subtenderent. Si tractum Cometæ nostri secundum observationes superius allatas examinaverimus, deprehendemus, eum propius ad rectitudinem quàm ad circularitatem accedere. Sed de hoc ipso certi quid ex iis affirmare non possum. Hoc tamen dico, nisi motus circularis omnibus corporibus cœlestibus, velut ex ratione loci, naturalis esse videretur, ut Copernicus innuit,  
magis